



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 39. Exercitus ab Angliæ Rege in Hispaniam missus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1512.

recuperandam Aquitanniam suo Prædecessori a Gallis ereptam jam nunc opportunam offerri occasionem; ne vero Henricum expeditionis hujus difficultas ob remotiorem Aquitanniæ situm ab hoc consilio deterreret, Ferdinandus pro affectu, quo in eum ferebatur, pollicitus est, se copias, naves onerarias, tormenta, commeatum, armorumque apparatus eidem suppeditaturum, nullo alio tot impensarum foenore sibi reservato præter unicum Genero suo gratificandi desiderium. Henricus laqueis hisce captus, pro recuperanda Aquitannia foedus cum Ferdinando pepigit, inducias nuper cum Francia innovatas dissolvit, & a suo supremo Senatu, eoquod de bello in Ludovicum XII. movendo ageretur, subsidium satis amplum obtinuit.

## §. XXXIX.

*Exercitus ab Angliæ Rege in Hispaniam missus.*

*Guic. l. II.* *Maria. l. 30.* *Polyd. Virg. l. 27.* Hisce consiliis, quæ ambo Reges agitabant, sine temporis mora maturatis, Henricus classis suæ imperium Eduardo Howart Surrégiæ Comitæ Filio natu majori contulit, terrestribus vero copiis Thomam Grayum Dorcestriæ Marchionem præfecit. Exeunte ergo mense Majo omnes hæc copię ad invadendam Aquitanniam

niam selectæ, conscensis duabus Hispa- Sæcul. XVI.  
A. C. 1512.  
 norum navibus octava Junii ad Jupuscoæ Provinciam  
 appulere, ubi Dorcestriæ Marchio milites suos, quibus præerat,  
 in terram exposuit, classis vero Præfe-  
 ctus, qui eum comitabatur, factis velis  
 ad Britanniae oram procurrit, ubi Gal-  
 lorum classem offendit, quacum die de-  
 cima mensis Augusti navale prælium iniit.  
 Finita pugna obliquatis velis Aquitanniae  
 oram legere cupiebat, ast non idem erat  
 Ferdinando consilium, qui Navarram sibi  
 soli vindicare meditabatur, atque ad hu-  
 jus expeditionis successum Anglorum co-  
 piis, quas in Hispaniam accersivit, uti  
 decreverat: cum vero Henricum hujus  
 propositi certiores reddere, nullatenus  
 e re fuisset, illum vana recuperandæ A-  
 quitanniae spe lactare oportebat, ut eo  
 promptius copiarum suppetias submitte-  
 ret. Hæc genuina erat ratio, qua per-  
 motus Rex Catholicus sese ab omni pro-  
 prii quæstus studio adeo alienum exhibe-  
 bat, ut tota futuræ felicitatis summa pe-  
 nes Angliæ Regem stare videretur. Ve-  
 rum promissi facilitatem operis constan-  
 tia minime æquabat.